

graphisches Lexicon der gesamt. jüd. Liter. Wien, 1881. — *Nechunja ben Kana*, Die Mysterien der Kabbala. Wilna, 1883. — *Herm. L. Strack*, Bibliograph. Abriss der neuhebr. Literatur, appendix operis: Siegfried-Strack, Lehrb. der neuhebr. Sprache. Karlsruhe und Leipz., 1884. — *Jul. S. Spiegler*, Gesch. der Philosophie des Judenthums. 1890. — *M. Brann*, Gesch. der Juden und ihrer Literatur. II. Aufl. 1896—1899. — *W. Bacher*, Die älteste Terminologie der jüdisch. Schriftauslegung (der Tannaiten). 1899. — Conf. etiam introductiones in Talmudem supra memoratas.

CAPUT SECUNDUM.

Historia exegesis apud Christianos.

§ 128.

Interpretatio Christiana primaeva.

1. — *Christus Dominus* Scripturam discipulis saepe explicavit. (Luc. 4, 18. sqq. 24, 44. sqq.) Interpretatio Domini plerumque erat litteralis. (Matth. 15, 3—5. 19, 4. sqq. 22, 42—45. etc.) *Apostoli* rectam Judaeorum interpretationem a Christo approbatam receperunt, et praeter sensum litteralem (Act. 2, 25. sqq.) etiam spiritualem nonnunquam (Joan. 19, 36. I. Cor. 10, 1—11. Gal. 4, 22. Hebr. cc. 7—10.) secuti sunt.

Idem apostoli et primi Christiani morem synagogae S. Scripturam per partes *in conventibus* legendi et explanandi acceperunt ac retinuerunt, ita ut lectio haec et interpretatio Scripturae pars esset cultus divini publici. Tribus primis saeculis libri sacri ex toto et ordine continuo in conventibus Christianorum legebantur et explicabantur; a saeculo autem IV. jam partes selectae (pericopae) praelegebantur. Expositio Scripturae a saeculo III. in forma homiliae fiebat.

Patres apostolici, apologetae et scriptores saeculi II. homilias continuas et commentarios non scripserunt, sed in scriptis suis data occasione nonnullos Scripturae locos explanarunt. Tunc enim, quum plurimi loci Scripturae praesertim Novi Testam. propter propinquitatem linguae, loci et temporis multo facilius quam nunc intelligebantur, uberioris interpretationes minus erant necessariae. Deinde Patres alique scriptores doctrina ac defensione fidei fideliumque occupati, amplioribus homiliis et commentariis scribendis non vacabant. Ideo scripta eorum fuerunt parva, et haec ipsa plerumque injuria temporum perierunt. Ex iis, quae supersunt, *ep. Barnabae* allegoricis ac typicis interpretationibus abundat, *ep. Clementis Romani* ad Corinth. plures locos biblicos

explicat. *Justinus M.* in dialogo cum Tryphone vaticinia Messiana interpretatur. *Melito Sard.* de Apocalypsi librum composuit, *S. Irenaeus* autem quosdam ejusdem libri sacri locos explicavit.

Imo non tantum orthodoxi, sed etiam *haeretici* (gnostici) jam saeculo II. Bibliis exponendis operam dabant. Ex operibus eorum exegeticis nonnisi fragmenta exstant. *Tatianus* ex quattuor evangeliiis suum *Diatessaron* composuit, ubi multi loci explicantur. *Basilides* sub titulo *Exegetica* 24 libros scripsit. In exegesi eminuit etiam *Heracleon*. Sed gnostici in omnibus nimii, partim sensum litteralem, partim allegoricum exaggerarunt.

2. — Christiani ab initio et semper solliciti erant, ut iis, qui linguas biblicas nescirent, Scripturam aperirent. Non est nostrum historiam *versionum* scribere; ideo tantum versiones antiquissimas et momentum in exegesi habentes nominasse sufficiat.

Theodotion ebionita S. Scripturam A. T. in Graecum vertit vel potius versionem Alexandrinam correxit circa ann. 185. p. Chr. Ecclesia orientalis versione libri Daniel a Theodotione facta utitur.

Symmachus Samaritanus postea ebionita circa annum 200. post Chr. versionem Graecam A. T. perspicuam sed liberam confecit.

Versio Syriaca (Peshito) e textu originali saeculo II., imo Ant. Testamenti probabiliter saeculo I. confecta est. Versio fidelis et clarissima, quae in exegesi maximam habet utilitatem.

Versio Latina Itala pariter e primis fidei temporibus, certe e saec. II-o descendit et versionem Alexandrinam (edit. communem) sequitur.

Versiones Copticae Utr. Test. secundum versionem Alex. etquidem jam saeculo III. confectae sunt. Versio autem *Aethiopica* e saeculo IV. descendit, et versionem LXX. sequitur.

Christiani jam saeculo II. scholas condebant, quae primum quidem catechumenis instituendis destinatae (scholae catecheticae), postea altiores scholae theologicae atque exegeticae evaserunt. Exegesis uberior et erudita demum saeculo III. in his scholis invaluit.

§ 129.

Schola Alexandrina.

Tria saecula ante Chr. scientiae profanae ac sacrae, Graecae ac Judaicae Alexandriae florebant et in scholis exercebantur. Saeculo I. et II. post Chr. Alexandrini, in philosophia Platonis plerumque et Philonis sequaces, exegesi Philonis allegoricam maxime coluerunt. Religione Christiana jam primis duobus saeculis Alexandriae radices agente, non est mirandum, ibi paulo post scientiam religionis Christianae

natam esse atque effloruisse. Ita prima schola Christiana theologica, catechetica vocata, Alexandriae saeculo II. nata est, mox celeberrima futura et scientias non tantum sacras, sed etiam profanas amplexura, quo revelationem probaret ac defenderet. Quum autem multi Judaeorum Alexandrinorum religionem Christianam susciperent, hi interpretationem allegoricam in scholam ipsam catechetica introduxerunt. Videntes autem Alexandrini, interpretationem allegoricam ab ipsis apostolis adhiberi, tutius eam secuti sunt; imo ut difficultates sensus litteralis evitarent, postea justos limites transgressi, eam non modo in institutione practica, sed etiam in exegesi erudita et in disputatione contra gnosticos et ethnicos usurparunt, sensui litterali praetulerunt, atque ejus gratia Origenes hujusque discipuli sensum litteralem reliquerunt ac rejecerunt. Praecipui doctores scholae Alexandrinae fuerunt:

S. Pantaenus (circa finem saeculi II.) scholae Alexandrinae rector. Testibus Eusebio et Hieronymo Scripturam interpretatus est; sed interpretationes aut non descripsit, aut eas tempus consumpsit.

Tit. Flav. Clemens Alexandrinus († 217.) Pantaeni discipulus et ab anno 190. scholae Alex. magister mox rector ejusdem. In operibus suis (Cohortatio ad gentiles, Paedagogus, Stromata) multos locos Scripturae explanat. Etiam librum exegeticum scripsit sub titulo: Hypotyposeon seu Adumbrationum libri octo, cujus nonnisi fragmenta (ad ep. I. Petr. I. II. Joan. Jud.) supersunt.

Origenes (185—254) scholae Alexandrinae et postea Caesarensis decus, teste Epiphonio *totam S. Scripturam* homiliis, scholiis et commentariis illustravit. Multa opera ejus exegetica praesertim scholia perierunt, sed in catenis supersunt fragmenta eorum. Exstant autem ex toto vel ex parte: *homiliae* in quattuor priores Moysis libros, deinde in libros Josue, Judicum, I. Samuelis, aliquot psalmos, principium Cantici. Isaiam, Jeremiam, Ezechielem et evangelium Lucae. Item supersunt *commentarii* in priorem partem Cantici, multos (69) psalmos, in partes Matthaei, Joannem et epistolam ad Romanos. Praeterea in opere *De principiis* l. IV. Origenes etiam principia interpretationis allegoricae exposuit; in *Hexaplis* autem fundamenta criticae textus et Bibliorum polyglottorum posuit. Hexapla docent, scholam Alexandrinam ipsi studio textus originalis operam dedisse. In exegesi Origenes distinguit sensum corporalem, moralem et spirituale; posteriorem ceteris anteponit, corporalem autem nonnisi vulgo hominum destinatum censet.

Julius Africanus (circa an. 215.) plura opera exegetica conscripsit, quorum pauca permanserunt. Inter omnia opera eminent *Chronographiae*, quarum fragmenta exstant, quibus concordiam historiae biblicae et pro-

fanae probat. Scripsit etiam de concordia duplicis Christi genealogiae. (Ep. ad Aristid.)

S. Dionysius Alexandrinus († 265.) Origenis discipulus moderatus multa scripsit, sed pauca ejus opera exegetica ad nos pervenerunt. Sensum spirituale colit et Apocalypsim S. Joanni abjudicat.

S. Gregorius Thaumaturgus Neocaesarensis († 270.) etiam Origenis discipulus. Scripsit paraphrasim ad Ecclesiasten.

Inter scholam Alexandrinam et Antiochenam medium tenent doctores Palaestineses, quidam Alexandrini et doctores Cappadoces.

Eusebius Caesarensis († 340.) videtur omnes libros sacros interpretatus esse; sed opera ejus partim perierunt. Exstant tamen saltem ex parte commentarii ad psalmos, Isaiam, Lucam, deinde *Quaestiones evangelicae* (harmonia evangeliorum), et *Onomasticon* S. Scripturae (a Hieronymo latine versum), item Eclogae propheticae. Egregie juvant exegesim, praecipue Novi Test. opera ejus historica: *Historia ecclesiastica* (a Rufino latine translata) et *Chronicon* (a Hieronymo latine redditum); opus autem apologeticum: Demonstratio evangelica multa vaticinia Messiana explicat. Dolendum, quod Eusebius nonnunquam ad Arianismum inclinavit.

S. Epiphanius († 403.) interpretationem Origenis allegoricam graviter quidem vituperat, sed in praxi etiam ipse multo magis allegoricum sensum quam litteralem sectatur. Scripsit De mensuris et ponderibus, De duodecim gemmis (pectoralis summi pontificis Israelitarum). His et aliis (Panarium, Ancoratus) operibus plures S. Scripturae locos interpretatus est.

S. Athanasius († 373.) plures commentarios scripsit, quorum pars tantum et fragmenta in catenis (ad Job. Cantic. Matth. Luc. I. Cor.) supersunt. Praeterea exstant epistola de psalmis ad Marcellin. et opera dubia: expositio psalmorum et dissertatio de eorum titulis.

Didymus Alexandrinus († 397.) scholae Alexandrinae rector caecus multa opera exegetica scripsit, quae plerumque perierunt. In catenis adsunt fragmenta explicationis Jobi, psalmorum et Proverbiorum, epist. Paulinarum; et exstat brevis explicatio epistolarum catholicarum. In exegesi sectator Origenis, sed moderator.

S. Cyrillus Alexandrinus († 444.) praeter opera dogmatica ad plerosque S. Scripturae A. et N. T. libros commentarios scripsit. Exstant interpretationes ad locos Pentat. (De adoratione in spiritu et Glaphyra), Isaiam, prophetas minores, Lucam, Joannem. Deinde in catenis adsunt fragmenta in libros Regum, in psalmos (ampla), Proverbia, Canticum, prophetas minores, in Matthaeum et epist. Paulinas.

In operibus dogmaticis sensum litteralem, in commentariis mysticum magis sensum proponit.

Huc addendi sunt etiam tres doctores Cappadoces: SS. Basilius, Gregorius Naz. et Gregorius Nyss.

S. Basilius M. († 379.) inter alia opera egregias homilias in hexaameron sensu litterali expositum et psalmos scripsit, quae exstant; sed multa opera exegetica perierunt.

S. Gregorius Nazianzenus († 389.) in libris dogmaticis multos locos S. Scripturae explicat.

S. Gregorius Nyssenus († 394.) libros de hexaemero et hominis opificio (litteraliter), de vita Moysis et de psalmis scripsit, et homilias de Ecclesiaste, Cantico, oratione dominica et beatitudinibus composuit. Sensum allegoricum in plerisque operibus sequitur.

§ 130.

Schola Antiochena et Mesopotamena.

1. — *Schola Antiochena* (in Syria) exeunte saeculo III. constituta unica et proprie dicta non fuit, sed complexus plurium scholarum monasticarum, et multorum doctorum, communisque eorum methodus Scripturam interpretandi, per generationes tradita. Schola haec sensum imprimis litteralem per grammaticam et historiam quaerit, eumque repertum rationi conciliare et in mores ac vitam applicare intendit. Allegorias falsas negligit imo oppugnat. Optimi tamen scholae doctores sensum quorundam locorum spiritualem (typicum) sobriumque ejus usum minime reprobarunt. Antiocheni in philosophia plerumque eclecticici fuerunt, maxime autem Aristotelem et stoicos secuti sunt. Schola Antiochena praecipuas rectae hermeneuticae leges constituit, et fundamenta jecit interpretationis Scripturarum eruditae. Fatendum tamen est quosdam etiam Antiochenorum sensu litterali extra modum prodiisse, et in nestorianismum ac rationalismum lapsos esse.

Schola Antiochena condita est a *Dorotheo et Luciano presbyteris* circa annum 290. Tres habuit periodos: *a)* periodum formationis a fundatione usque ad Diodorum Tarsensem, annis circ. 290—370.; *b)* periodum vigoris a Diodoro Tars. usque ad Nestorium, annis circ. 370—430.; *c)* periodum corruptionis post Nestorium usque ad interitum. Doctores scholae praecipui sunt sequentes.

Lucianus († 311. vel 312.) Edessae educatus et edoctus, sed etiam scholae Caesarensis (in Palaest.) ab Origene fundatae discipulus. Antiochiam veniens, scholas theologicas, ibi jam exstantes valde promovit

atque efflorescere fecit. Praeter opera exegetica etiam editione critica versionis Alexandrinae interpretationem Bibliorum adjuvit. Quidam tamen discipulorum (Eusebius Nicomediensis, Arius etc.) in rationalismum lapsi sunt.

Socius Luciani in scholis Antiochenis erigendis fuit *Dorotheus*, doctus Scripturae interpres, qui teste Eusebio etiam linguam Hebraicam addidit.

Eusebius Emesenus († 360.) a nonnullis scholae fundator habetur.

Diodorus postea episcopus *Tarsensis* († 390. vel 394.) scholam Antiochenam ad maximam celebritatem provexit. Postquam Athenis studiis philosophiae vacavit, monachus factus Antiochiae cum amico Carterio scholam theologiam et exegeticam proprie dictam (asceterion) condidit. Hanc scholam frequentarunt S. Chrysostomus et Theodorus Mopsuestenus. Ipse tamen Diodorus liberioribus nonnunquam sententiis indulsit.

S. Joannes Chrysostomus († 407.) Diodori discipulus, omnium exegetarum orientalium facile maximus, magnam Scripturae partem: Genesim, partes libri Regum, (*Job?*), *psalmos*, Isaiam et alios prophetas, Matthaeum, Joannem, Actus, omnes *epistolas Paulinas* etc. suis homiliis (plus quam octingentis) et nonnullis commentariis tum theoretice tum practice explanavit. Praesertim in epistolas S. Pauli nemo unquam magis quam ille penetravit. Sensum litteralem scrutatur, sed in Antiquo Testamento etiam typicum admittit. Uberrimas et pulcherrimas exhortationes morales interpretationibus inserit. Opera ejus claritate, firmitate argumentorum ac pietate eminent.

Theodorus Mopsuestenus († 428. vel 429.) Chrysostomi amicus, Nestorii magister in totam S. Scripturam commentarios scripsit, quorum pars tantum innocentior (ad prophetas minores, psalmos et epistolam ad Rom.) integra vel ex magna parte permansit. Reliquorum fragmenta exstant. Interpres Scripturae doctus et eloquens; sed sicut Origenes in interpretatione allegorica, ita Theodorus in litterali modum excessit, sensum typicum, atque etiam propheticum (vaticinia Messiana) saepe meram accommodationem esse docens. Plurium librorum (Esdrae, Job, Cantici, deutero-canonicorum, nominatim epistolae Jacobi etc.) divinam auctoritatem negavit, alios autem libros falso interpretatus est. Nestorianismo viam paravit. A concilio oecum. V. damnatus est, atque opera ejus igni data.

S. Isidorus Pelusiota († circ. 440—450.) Chrysostomi discipulus in multis suis (2000) epistolis plures Scripturae locos interpretatus est, opera Chrysostomi excerptans.

Theodoretus Cyrensis (in Syria) episcopus († 457. vel 458.) reliquit commentarios in Pentateuchum, alios libros A. T. historicos, psalmos, Canticum, omnes prophetas et epistolas Paulinas. Chrysostomum et Theodorum Mopsuestenum sequitur. Accuratissime et sermone claro sensum litteralem exponit.

2. — *Schola Nisibena et Edessena*. Praeter scholam Antiochenam saeculo IV. altera schola primum Nisibi, mox Edessae orta est et floruit. Schola haec ad exemplum Antiochenae sensum litteralem quaesivit, spiritualement tamen non rejecit. Conditor scholae Nisibenaest *Jacobus Sarug* († 338.) S. Ephremi magister.

S. Ephrem Syrus († 373. vel 378.) scholae Edessenaest decus. Praeter opera dogmatica et ascetica multos etiam commentarios in omnes fere libros protocanonicos lingua Syriaca conscripsit, ex quibus ad Pentateuchum et alios libros historicos, Job, prophetas majores et plures minores, Tatiani diatessaron, epistolas Paulinas scripti, praeterea plures sermones et homiliae exstant, et alia fragmenta in catenis supersunt. Versione Pešito, rarius translatione Syriaca versionis Alexandrinae utitur; aliquando etiam ad textum Hebraicum et traditionem Judaeorum provocat. Sensum litteralem plerumque accurate proponit, sed typos etiam agnoscit, imo nonnunquam sensui allegorico et typico saltem in praxi nimium tribuit.

Quum theologi Nestoriani Antiochia praevaletentes post Nestorium (in concilio Ephesino anno 431.) damnatum ab imperatoribus orientis persecuti et Antiochia expulsi essent, profugi schola Edessena et Nisibena potiti, etiam has corruerunt. Quae scholae in potestate Nestorianorum usque ad medium aevum permanserunt. Interim etiam schola Antiochena a Nestorianis corrupta sensim collapsa est; methodus tamen et doctrinae ejus in monasteria et in theologiam occidentis transierunt.

§ 131.

Interpretatio Patrum Latinorum.

Patres et scriptores Latini, qui usque saeculum VI. floruerunt, scholam quidem et collegium non constituerunt, tamen in methodo interpretationis inter se plerumque convenerunt. A saeculo IV. etiam efficaciam scholarum orientalium, imprimis Antiochenae experti sunt. Omnes admittunt sensum litteralem et spiritualement (typicum et mysticum), quorum alium alii colunt, plerique autem utrumque conjungunt. Fatendum tamen est, nonnullos eorum sensui mystico saltem in homiliis et aliis operibus practicis nimium indulgere.

S. Hippolytus († circ. 235—245.) quamquam presbyter Romanus et S. Irenaei discipulus, tamen per interpretationem suam allegoricam ad scholam Alexandrinam proprie pertinet. Praeter multa opera dogmatica, polemica et historica etiam multa exegetica scripsit. Ita hexameron, Genesim, Exodum, psalmos, tres libros Salomonis, Isaiam, Ezechielem, Danielelem, Zachariam, Matthaem, Joannem et Apocalypsim (lingua Graeca) interpretatus est. Sed opera ejus perierunt, nonnisi fragmenta exstant.

Tertullianus († circ. 240.) et *S. Cyprianus* († 258.) multos S. Scripturae locos, praesertim vaticinia Messiana in operibus suis explicarunt.

Victorinus Petavionensis († circ. 297. vel 303.) primus est commentator, qui lingua Latina usus est. Commentarii ejus ad plures libros Pentateuchi, Salomonis et prophetarum scripti perierunt, sed scholia in Apocalypsim exstant. Origenem sequitur.

S. Hilarius Pictaviensis († 367. vel 368.) Jobum, psalmos et Matthaem commentatus est. Saepe Origenem imitatur.

S. Ambrosius († 397.) multa opuscula exegetica: de principio Genesis, de personis antiqui testamenti, expositionem psalmorum et evangelii Lucae conscripsit. Saepe vestigia Origenis sequitur et sensum allegoricum ac moralem exponit. Sub nomine Ambrosii exstant boni commentarii in 13 epistolas S. Pauli (Ambrosiaster), qui e saeculo IV-o descendunt, sed opera Ambrosii non sunt.

Rufinus († 410.) multa opera exegetica Graecorum (e. g. Origenis, Basilii) latine transtulit, et de benedictionibus patriarcharum scripsit. Pseudo-Rufinus autem explicationem ad psalmos et plures prophetas minores scripsit.

S. Hieronymus († 420.) interpretum Graecorum discipulus, in exponendis Scripturis doctor saltem Latinorum maximus. S. Scripturam et multa Philonis, Origenis atque Eusebii opera biblica in Latinum vertit; de nominibus Hebraicis et de geographia biblica scripsit. Multos commentarios ad plures Veteris Testamenti libros, Genesim, omnes prophetas, Ecclesiasten, item in evangelium Matthaei et nonnullas S. Pauli epistolas (Gal. Ephes. Philem. Tit.) composuit. Etiam in epistolis suis, quarum multae veri tractatus exegetici sunt, complures locos biblicos e. g. psalmorum explicat. Sensum litteralem valde commendat et pro fundamento interpretationis ponit, cui sensum allegoricum, moralem et typicum superstruit. Nonnunquam etiam ipsi accedit, ut allegoriis nimis indulgeat. Sensum traditum et ecclesiasticum accurate sequitur; at saepe sententias proprias et alienas proponit. Multa etiam apocrypha opera ei adscribuntur, quorum praecipua exegetica sunt: Breviarium in psalmos,

Quaestiones in libr. Reg. et Paral., commentarii in librum Job, evangelia et omnes epistolas Paulinas (excepta ad Hebr.).

S. Hieronymus confecit etiam versionem *Vulgatam*, annis 390—405. Antiquum Test. (libros protocanonicos, Tobiam et Judith) ex Hebraico vertit, ad quod etiam reliqui libri Ant. Testamenti, psalterium Gallicanum et Novum Testamentum (a S. Hieronymo emendatum) addita sunt. Ceterum versio haec in introductione copiose describitur.

S. Augustinus († 430. vel 431.) plurima opera dogmatica, exegetica et rhetorica edidit. In libris *De doctrina Christiana* principia rectae interpretationis exposuit. In operibus dogmaticis sensum magis litteralem, in commentariis et praesertim in operibus rhetoricis sensum etiam spiritualem (allegoricum, morale) quaerit atque exponit. Interpretationes scripsit ad Genesim (De Gen. contra Manich. et De Gen. ad litteram, dein Confessionum libri ultimi allegorice exponunt cosmogoniam), Locutiones et Quaestiones (scholia) ad Pentat., librum Josue et Judicum, Adnotationes in Job, Enarrationes in psalmos, quos potissimum allegorice et moraliter interpretatur. Ad Novum Testamentum scripsit: De consensu quattuor Evangelistarum, Quaestiones evangelicas in Matth. et Lucam, de sermone montano, tractatus in evangelium Joannis, expositionem ep. ad Romanos et Galatas, tractatus in ep. I. Joan. (ad Parthos) etc. (Expositio ep. Jacobi periit.) Etiam in sermonibus suis multas pericopas explicat. S. Augustinus linguae Graecae gnarus fuit, et aliquantum etiam linguam Hebraicam scivit. In exegesi quidem plerumque versioni Alexandrinae inhaeret, sed saepe etiam textus Hebraici rationem habet.

S. Petrus Chrysologus († 450.), S. Leo M. († 461.) et alii aequales oratores potius quam exegetae fuerunt, quamquam in sermonibus suis plures locos biblicos practice explicant. Cassiodorus autem († 565—575.) praeter opus suum hermeneuticum (De instit. divinarum litter.) etiam ut exegeta psalmorum, Actuum, epistolarum et Apocalypsis nominari meretur. Ceterum Augustinum maxime sequitur.

S. Gregorius M. († 604.) Scripturam praesertim practice interpretatur. Scripsit *Moralia* seu in libr. Job, multas homilias in Ezechielem et in evangelia. Expositiones libri I. Reg. et Cantici a quodam discipulo ex homiliis Gregorii compositae sunt. S. Gregorius quidem regulam statuit, »prius historiae radicem esse figendam, ut valeat mens postea de allegoriarum fructu satiari«; at regulam hanc ipse non semper observat. Imo plerumque spiritualem ac mysticum sensum quaerit; litteralem tamen non omnino rejicit.

Opera Patrum sicut alia, ita etiam exegetica plerumque saepius typis excusa atque edita sunt. Editiones illas enumerare nec vacat, neque quum multae earum in qualibet bibliotheca theologica majore occurrant, opus est. Id tantum monemus, in Patrologia Migne, satis divulgata, omnia illa Patrum opera, quae exstant, inveniri.

§ 132.

Interpretes medii aevi.

Inter arma silent Musae. Non est ergo mirandum hac aetate pauciores quam ante editos esse commentarios. Eo magis catenae et glossae ex operibus SS. Patrum excerptae florebant. In catenis quae saec. VI—XII. vigeant, et plerumque anonymae sunt, dicta praesertim Origenis, Chrysostomi, Theodreti et Cyrilli Alexandrini afferuntur. Multas Patrum interpretationes nonnisi catenae servarunt. (Multas catenas typis vulgarunt Balth. Corderius S. J. Antverpiae, et alii saec. XVII-o; item protestans J. A. Cramer, Oxon. circa an. 1840.) Hac aetate Latini in exegesi praevaluerunt.

1. — Interpretes Graeci.

Procopius Gaza († 524.) catenas e. g. ad Isaiam concinnavit, sed etiam commentarios in plures libros A. T. historicos et Proverbia proprio Marte scripsit.

Anastasius Sinaita (saec. VII.) et *S. Maximus* († 662.) commentarios scripserunt, quibus sensum allegoricum exponunt.

S. Joannes Damascenus († circ. 760—780.) praeter opera dogmatica commentarium in epistolas Paulinas composuit, Chrysostomi maxime vestigiis inhaerens.

Photius († circ. 891.) praeter multa alia opera etiam biblica commentarios in Novum Test. edidit, sensum litteralem sobrie secutus.

Oecumenius saec. X. commentarios in Actus et epistolas ex Patrum operibus compilavit.

Euthymius Zigabenus († 1118.) commentarium scripsit in psalmos, quattuor evangelia, epistolas Paulinas et catholicas. Sensum litteralem exponit, et saepe Chrysostomum sequitur.

Theophylactus († cc. an. 1107.) commentarios in aliquot prophetas minores, quattuor evangelia, Actus, et epistolas Paulinas confecit. Chrysostomi vestigiis nimium plerumque insistit, adjectis interpretationibus allegoricis et moralibus.